



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCCXXXVIII. ad annum MCCCCXL.

Parisiis, 1644

Evgenivs Hortatvr Sigismvndvm Imperatorem Aliosqve Christianos principes, vt omnia faciant, quae Graecorum in Italiam aduentui & vnioni cum Romana ecclesia expedire iudicauerint.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15490

Num. VII. **EUGENIVS HORTATVR SIGISMVNDVM**

IMPERATOREM ALIOSQVE CHRISTIANOS

principes, vt omnia faciant, quæ Græcorum in
Italiam aduentui & vnioni cum Romana
ecclesia expedire iudicauerint.

*Eugenius episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam
rei memoriam.*

*Carissimo in Christo filio Sigismundo Romanorum imperatori, &
Hungariæ ac Bohemiæ regi illustri salutem, &c.*

CVM proximis diebus venissent Bononiam ad nos dile-
cti filii Ioannes Bissipatus & Emmanuel^a Tracagnoti
Vulotis oratores carissimi in Christo filii imperatoris
Græcorum, & venerabilis fratris patriarchæ Constantino-
politani, qui dudum fuerant in Concilio Basileensi, peti-
uerunt audiri in consistorio generali: quod nos illis facili-
ter concessimus, attenta magnitudine rerum quas tra-
ctare aduenerant. Cumque eos in dicto consistorio audi-
remus, fecerunt expositionem suam, cui postea respondi-
mus in simili, prout contineri videbis in literis apostolicis,
quas tuæ celsitudini mittimus. Prædicti etiam oratores au-
dita nostra concessione & approbatione eorum quæ pe-
tierant, eiusmodi approbationem nostram habuerunt ratam,
prout ex instrumento aduocati fiscalis patet, quod etiam
mittimus alligatum. Per eosdem etiam dies accidit,
quod venerabilis frater episcopus Dignensis, & dilectus fi-
lius Nicolaus de Cusa, oratores a Concilio Basileensi hac
de causa missi ad nos venerint, & eis apud nos existentibus,
a dilectis filiis communitate Florentiæ responsonem
& certitudinem habuerimus, quod omnia quæ iuxta formam
decreti ad hoc negotium necessaria erant, cumulatissime
parauerant: hincque constituimus, quod prædicti oratores
Græcorum & Concilii Basileensis simul cum nostris nuntiis
propediem in Græciam nauigent.

Quare, Domino concedente, omnia nobis optime disposita & parata videntur, quæ pro vnione occidentalis & orientalis ecclesiæ videbantur necessaria. Itaque velit tua sublimitas omnia facere, dicere, disponere & ordinare, quæ huiusmodi Græcorum reductioni, & eorum ec-

^a Nomen officii, id est sigillatim: Tracagnoti, alias Tracagnoti. Bissipatus, alias Dissipatus, id est, bis Consul, vel secundus Consul, in sessione 24. Concilii Basileensis in bulla aurea imperatoris legitur Ioannes Lascaris Dissipatus. Scribendum videtur dissypatus a Græco *δυσσπασ*.

ANNO
CHRISTI
1438.

clesiæ cum nostra vnioni iudicabis & intelliges posse conducere, vt diebus nostris & tuis præcipuum hoc augmentum suscipiat catholica fides Christiana: quamquam sperari posse videmus, plurima bona multi facienda vnionem prædictam, cum facta erit, concedente Domino, secutura.

Ceterum summa cum displicentia audiimus, quosdam hæreticos in regno tuo Hungariæ per hæc tempora pullulasse^a, & sacerdotes regni ipsius nullo modo absterreri aut induci posse a dilectis filiis fratribus ordinis beati Francisci in obseruantia regulari degentibus, qui in illo verbum Dei prædicant, vt concubinas, quas publice tenent, dimittant, & aliter honeste viuant: quæ res maxime facit populos regni illius a bene viuendo se retrahere, & a fratrum prædictorum monitionibus retrogrados esse: necessariumque iudicatur fore, vt aliquis prælatus in eo regno deputetur cum nostra auctoritate & fauoribus tuis, qui & hæreses extirpet, & clericos sacerdotesque honeste curet viuere. Quod vt consentire velit tua celsitudo, hortamur, suademus, ac etiam stricte requirimus. Datum Iunii, &c.

^a Hæc admonitio contra concubinas non ponitur in literis ad alios principes directis, vt infra.

Eugenius episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Carissimo in Christo filio Carolo Francorum regi illustri salutem & apostolicam benedictionem.

CVM proximis diebus venissent Bononiam, &c. vt supra, vsque, Ceterum summa cum displicentia, &c. Regibus Angliæ & Portugalliæ, vt supra, vsque, Ceterum summa cum displicentia, &c.

DEPVATIO CAPITANEI PONTIFICI- Num. VIII.
CIARVM GALEARVM AD GRÆCOS
in Italiam conducendos.

Eugenius episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Dilecto filio nobili viro Antonio Condulmario galearum nostrarum Constantinopolim mittendarum capitaneo salutem.

STRENVÆ probitatis tuæ ac circumspectæ prudentiæ conspicua merita, quibus personam tuam Dominus in-